

Cantici Cantorum, cujus hoc initium: *Concentum celi dormire quis faciet. Job. XXXVIII. Per Nominativum significatur causa efficiens istius operis id est Salomon. Materia per concentum celi id est concors denuntiatio et desiderium sanctorum patrum qui desiderabant nuptias diuine nature et humane &c.* Scholasticum aevum haec sapiunt; autor tamen me latet. Finit ille: *descende ad valles ad minores. vel descende super montes et per ipsos ad nos.* Membranae Codicem ambientes scitent Notis homileticis, et grammaticis, in quibus Papias et Hugutio citantur. In 1. antica legitur: *Anno ab incarnatione domini M^o. C.LXXX. VII.* In 4. vero sub finem inter quaedam erasa literis rabbinicis *Epistole de Paolo*, unde Codex in manibus Judaei Itali aut Hispani fuisse videtur; illum vero, ut Thecae intus adscriptum est, *Dominus H. tercius prepositus attulit Monasterio sancte Dorothee.* Fuit is *Henricus Bouel Alsata*, prius in Ducali Collegio *Viennae* Professor, et AA. Decanus, electus Praepositus 1421. *Locherus* in *Spec. Acad.* ad an. 1411. quo Decanatum gessit, eum *Bomel* adpellat.

CL.

R. 3096 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 160. f. min. eadem ratione eleganter exaratus, qua superior, aliud est *Epistolarum D. Pauli* Exemplar itidem ad Mona-

sterium S. Dorotheae olim pertinens. Hic vero praeceunt *fol. 8.* Connotata varia hermeneutica et PP. Loca praecipue de Sacramentis nullo ordine congesta, ad quorum calcem legitur: *Hic liber (quaedam erasa) allatus est a casamaris.* Quod quid sibi velit, ignoro; certe non *Plinii Populos Casamarri.*

CII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3106 XIII. Folior. 184. 4. maj. eadem ratione eleganter exaratus, ejusdem Argumenti, et olim inter *Libros Episcopatus Neostadiensis Austriae.* *Folios 2.* praecedentibus variae Sententiae theologicae congestae sunt; ultimis vero 2. *Homiliae II.* inscriptae, quarum prior incipit: *In omnibus uiri fratres que gessit christus ihesus humilitatis preceptum exhibere uoluit &c.* Altera: *Penitentiam agite. appropinquabit enim regnum celorum. Euangelice lectionis tuba domini, mei cotidie insonat auribus nostris &c.* Praeterea postremae *Textus Paulini* paginae superstitionas imprecandi *Formulas* contra Pecorum infirmitates, contra Vermes, et fluxum Sanguinis e naribus *Stolidus* quidam illeuit, quas repetere piget.

K 2

CIII.